





65.
Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE
LACTIS VITIIS,
ET EXINDE PROGNATIS
LACTANTIVM INCOMMODIS,

QVAM
VELIFICANTE NVMINIS SVPREMI GRATIA
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO,

DN. PLACIDO,

REGALIS MONAST. SS. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI ORD. S. BENEDICTI
INTRA BRFDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRÆ ZELLENSIS ET IN FRANCKE-
RODA AD VVERKHAM DOMINO, S. FACVLT. THEOL. ASSESSORE
PRIMARIO, ETC.

AUTORITATE ET DECRETO GRATIOSÆ FACVLTATIS
MEDICÆ IN PER-ANTIOVA HIERANA,
SVB PRÆSIDIO

LAVDATISSIMI ORDINIS MEDICI DOMINI SENIORIS

DN. D. HERMANNI PAVLI JVCII,

SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLICI ET ARCHIAT.
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. PRIMAR. ACADEM.
CESAR. NAT. CVRIOS. COLLEGÆ,

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,
PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE OBTINENDI,
PVBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTIT
AVTOR ET RESPONDENS,

JOHANNES JEREMIAS *Bergel*

Islebiens.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSUVETIS.

DIE XII. MAJI, M DCC XXXI.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typog.

DISSECTIO ANATOMICA

LACTIS VITIS

LACTATIVUM IN COMMUNIS

DE PULCHRO

ANATOMIA ET DESCRIBERE

ONDIHERMANI PAVILLONII

PRO LICENTIA

JOHANNES PAVILLONII

MDCCCLXXXIII



DISSERTATIONIS INAUGURALIS
MEDICÆ

DE

LACTIS VITIIS

ET EXINDE PROGNATIS

LACTANTIVM INCOM-
MODIS,

PROŒMIVM.



Uisse inter Veterès, Philoso-
phos pariter ac Medicos, non
paucos, qui innocentissimum
fœmininum genus nimium
quantum diffamare, ejusque
& nobilitatem, & absolutam
pro conservatione speciei necessitatem prope
obscurare, ac quasi annihilare, omnibus annis
sunt viribus, utique dolorem magis, quam ad-
miracionem in illius excitabit mente, qui unum

A 3

cun-

cundemque Creatorem, Deum nimirum omnipotentem, tum marem, tum foeminam agnoscere, & ab Eo ad imaginem sui formatos hos fuisse, ita ut hæc æque ac ille, ex consimilibus & uniformibus constaret partibus essentialibus, Anima nimirum immortalis & corpore nunc corruptibili, perfunctorie saltem considerabit. Hinc sane non immerito summam ac fere inexcusabilem, imò divino opifici plane oppositam injuriam foeminino sexui, inter alios, *Aristotelem* atque *Galenum* intulisse, persuasissime sumus, dum ille *Lib. IV. de Generat. animal. cap. 3.* Naturam tunc degenerare & initium primum degenerandi esse asserit, *quando foeminam generat, non marem*, eaque propter *cap. 6. l. c.* eandem naturalem lesionem vocat, & insuper *Lib. I. cap. 20.* quod foemina quasi *mas sterilis*, & *Lib. II. cap. 3.* quod ea quasi *mas læsus sit*, audacter pronunciat; hic vero Aristotelicam istam sententiam *Lib. 14. de usu part. cap. 5. § 6.* ex eò inprimis defendere annititur, quoniam maribus frigidiores existerent foeminae & partes genitales intus inclusas gererent, adeoque tanto imperfectiores easdem censendas esse

se

se autumat, quanto sint maribus frigidiores, id quod tamen quotidianæ aperte refragatur experientiæ, cum vel ex illa sola liquido appareat, quod fœmininum genus ob insignem illam activitatem, quam in generationis pariter ac partus negotio admodum mirabili ac operoso, nec non sub ipsa prolis nutritione, satis vegete præstat atque demonstrat, masculino sexui neque ratione perfectionis, neque etiam ratione calidioris indolis ac constitutionis, ullo modo cedat, quin potius eidem in hoc passu si non præferendum, saltem jure meritoque æquiparandum sit, cum primis cum supervenientes & occurrentes durante graviditate, partu & lactatione, numerosissimas, gravissimas, & sæpenu-mero admodum fonticas illas morbosas ærumnas, eximia non solum patientia sed & plus quam heroica interdum fortitudine perferre & superare soleat.

Non lubet equidem pro demonstranda hujus asserti veritate latius evagari, & innumera fere pathematum genera, quibus gravidæ pariter ac puerperæ quotidie affliguntur, & tantum non obruuntur, in medium proferre, sed sufficet il-

lorum tantum meminisse *incommodorum*, quæ
lactantibus potissimum, ob varias & ex levissi-
 mis haud raro circumstantiis propullulantes
 causas solennia sunt, ipsumque illud nitidissi-
 mum & elegantissimum lactis ergasterium,
Mammæ puto, miserime discruciare & detur-
 pare conspiciuntur. De his enim, utique valet
 commune illud, quod ipsis quoque Naturæ le-
 gibus sancitum observamus, ut nimirum, quo
 nobilior partis alicujus dignitas & eminentia
 existit, eo majoribus plerumque tormentorum
 divexetur cruciatibus & atrocioribus hostium
 succumbat insultibus. Et quamvis etiam Na-
 tura sub prima corporis formatione bipartitas
 easdem extruxerit, ut si una forsitan ipsarum
 male affecta aut læsa fuerit, altera ad minimum
 sine impedimento actioni suæ & nobilissimæ
 & utilissimæ invigilare queat; accidit tamen
 plus simplici vice, ut mala vitiosorum humo-
 rum saburra utræque obruantur, modo sub
 diuturniori præcipue horum stagnatione, aut
 ulteriori corruptione, tam inflammationibus,
 quam exulcerationibus dolorosis pariter ac pe-
 nculosis subjiciantur, modo etiam ob internas
 quas-

quascunque causas functio ipsarum post puerperium maxime necessaria & proficua, vel turbetur, vel plane supprimatur, adeoque innumera satisque interdum gravia ac fontica *Lactis vitia*, maximis undique *incommodis* stipata, exinde emergant, & summas tam infanti lactando, quam matri lactanti, molestias ac curas inferant. Hinc placuit impræsentiarum, singulari indultu *Gratiosissimi Ordinis Machaonii* in Perantiqua hac Hierana hanc ipsam materiam loco *Thematis inauguralis* seligere, atque potiora illa tam *Lactis vitia*, quam *Lactantium incommoda* justo ordine recensere, & debite explanata publicæ censuræ subicere. Deum autem T. O. M. supplex veneror, velit mihi in hoc negotio gratiæ suæ Spiritu adesse, & ausibus hisce levioribus addere exoptatissimum FELICITER!

SECTIO I.

Physiologiam Lactis exhibet.

§. I.

V*itia Lactis* & molestissima abinde in *lactantes* redundantia *incommoda* antequam exponamus, non incongruum, quin plane necessarium esse ducimus, ut prius utilissimi hujus humoris naturam, mixtionem,

tionem, proprietates, secretionem, variosque ab Autoribus traditos hujus modos, debite indagemus, & explicemus, cumque teste *Scaligero* & consensu plurimorum philosophorum, a Vocis consideratione, plerumque facilius in rei provehamur perceptionem, ipsaque nomina quasi symbola rerum sint, utique etiam e re erit, ut a nominis evolutione hancce tractationem exordiamur, ne forsitan quicquam, quod eo pertineat, aut referri queat, omisisse videamur.

§. II.

Ratione Etymologiæ igitur communissime hujus vocabuli originem alii ex latina, alii vero ex græca deducere volunt lingua: priores enim, ab antiquo & obsoleto verbo *lacio* satis commode illud derivare solent, & quoniam ab hoc dein notissimum illud compositum *allicio* prostat, eam maxime ob causam talem huic humori impositam fuisse denominationem autumant, quod infantes tenellos ipsius cupidissimos quasi ad amorem vel appetentiam sui alliciat; posteriores vero vel cum *SCHREVELIO* in *Lex. græc.* eadem ex ratione à notissimo illo *γάλα, γάλακτος*, quod a *γαλάω* deducitur, ejusdem originem arcescere volunt, quoniam omnibus quasi arrideret; vel ob colorem cum *MATH. MARTINIO* in *Lexic. Philolog.* à voce *λευκόν, albus*, desumptam esse volunt, eo quod in statu naturali plerumque nitido tali albo colore omnibus sese commendat, talemque exacte præ se ferre debeat. At, cum longius petita fit hæc ultima derivatio, nec allegata semper quadret causa, hinc priores illas, utpote magis convenientes, & probabiliores merito præferendas esse existimamus.

§. III.

§. III.

Quoad *Homonymiam* varii utique occurrunt liquores & humores in triplici Naturæ regno, quos *Lactis* titulo insigniri deprehendimus, quique tamen hoc non obstante ad præsentem haud spectant tractationem: Ut enim nihil dicam de *lacte animalium brutorum*, quod, licet cum *humano*, de quo solitarie heic agere placet, satis homogeneum sit, nullam plane meretur censuram medicam, datur insuper *Lac Vegetabilium*, quod lactescentes quarundam herbarum succi, videlicet *Efulæ*, *Lactucæ*, *Thitymali*, *Hieraciorum*, *foliorum Mori*, &c. constituunt; nec non *Lac Hermeticum* ac *pharmaceuticum* sub titulo *Lactis Virginis*, *Sulphuris*, &c. occurrens, quorsum etiam variæ *Emulsiones amygdalatæ*, *perlatae*, aliæque plures diversorum effectuum atque virtutum spectant; & tandem *Lac Chymicum*, quale imprimis *Lac illud Lunæ* famosissimum existit, quæ sane omnia, una cum reliquis analogicis ac hyperbolicis hujus vocabuli acceptionibus, tam in *Scriptura Sacra*, quam inter *Rhetores* admodum solennibus, sicco jam pede præterimus, & aliorum considerationibus relinquimus.

§. IV.

Synonyma tandem *Lactis* quod attinet, pauca & vix admodum notabilia illa sunt, imo quoad maximam partem vel periphraistica, vel rhetorica: *ISIDORVS* enim humorem hunc *succum maternum*; *LVCRETIVS* candentem *lacteum humorem*; alii *candidum* & *infantile nutrimentum* & *Mammarum nectar* nec non *liquorem* & *Nectar niveum* illud vocant; alii autem alia verborum encomia eidem tribuunt, quibus vero recensendis luben-

B

ben-

bentes jam supersedemus; quam injuste autem à quibusdam humor hic *sanguis dealbatus, flos sanguinis*, imo *pus sanguinis*. appelletur, sequentia fusius explanatum dabunt.

§. V.

A nominali autem ad realem definitionem progressum nunc facientes, dicimus, quod LAC sit *liquor albus, pinguis, opacus, & paulo spissioris consistentiæ, ex principis seroso-salinis, pinguibus & mucilaginosi constans, in mammis feminarum ex sanguine easdem alluente & perluente secretus, atque recens natorum & teneriorum infantum nutritioni specialissime destinatus.*

§. VI.

Generis equidem loco *liquorem* seu *humorem* in hac definitione posuimus, hunc tamen, licet Lac minime eum in finem fecerni notum sit, ut retineatur, sed potius ut excernatur, propterea nequaquam pro mere & simpliciter *excrementitio* agnoscimus, & aliis prorsus inutilibus annumeramus, cum tamen ex mixtione ipsius, & particulis eundem materialiter constituentibus laudabilibus & purioribus, quam ex effectu & usu admodum eximio nutritorio, exacte appareat, illum potius propter abundantiam & specialiter auctam secretionem atque collectionem, juxta consuetas Naturæ leges, certis temporibus utiliter evacuandum esse, & quidem simili fere ratione, qua principalis ille omniumque utilissimus humor, sanguis nimirum, quandoque itidem sui ventilationem urget, atque sub variarum, maxime autem periodicarum hæmorrhagiarum schemate, ordinarie eliminatur & excernitur.

§. VII.

§. VII.

Differt interim laudabilis hic humor, in naturali suo statu, communiter ratione *consistentiæ*, *coloris* ac *saporis* potissimum, dum respectu prioris ordinarie modo tenuem magis ac ferosiorum, & quidem primis statim a partu diebus, consistentiam exhibet, quale Lac propterea etiam peculiari *Colostræ* nomine insigniri solet; modo etiam pinguioris magisque alimentosæ substantiæ existit, uti in sanioribus lactantibus, elapso uno alterove mense post partum observatur. Quoad *colorem* autem, secundum temporum & temperamentorum diversitatem, vel pallidum, aut ad coeruleum etiam colorem vergens, in phlegmaticis maxime & ferosioribus, statim post puerperium observatur, vel magis album, niveum atque opacum apparet, idque præcipue in sanguineis, junioribus ac vegetioribus subjectis, quæque per aliquod jam tempus tenellos lactarunt infantes. Tandem etiam respectu *saporis* modo convenientem ac sufficientem exhibet dulcedinem, si nimirum debita ac proportionata particularum illud ipsum constituentium mixtione gaudet; modo etiam levior talis aut plane nulla in eodem deprehenditur, si vel ferosorum, vel mucilaginosorum principiorum copia plus justo abundat, adeoque pingues & oleosæ blandiores nimium quantum aut diluuntur, aut obviscantur. Quales vero & quantas idem ille humor in statu potissimum præternaturali subeat mutationes, ex iis, quæ in *Capite II.* adducentur, facillime quoque colligi poterit.

§. VIII.

Quod vero ipsam nunc *materiam* Lactis & genuinam insimul originem attinet, hujus sane intuitu graves inter Physiologos quondam obortæ & ad hæc ferè tempora usque continuatæ atque protractæ sunt lites, ex quonam nimirum humore hic noster potissimum secernatur, cujusque proprie sit profapiæ & indolis, dum modo hunc, modo alium, eidem assignare fontem, ex variis non tamen semper usque adeo probabilibus rationibus, conati fuerunt. *Avicenna* enim una cum *Galeno* & *Aristotele*, imo universono Antiquiorum choro, quibus inter Neotericos etiam adstipulatur *van der LINDEN*, in *Disputat. de Lacte §. 1.* Lactis materiam esse *sanguinem menstruum*, & putarunt & adseverarunt, hanc forsitan maxime ob causam, quia lactantes plerasque mensium defectu per aliquod temporis spatium laborare, & in iis, ubi legitime menses ob ætatis rationem cessarunt, nullum etiam Lac ulterius generari per experientiam edocti fuerunt, insuperque etiam *HIPPOCRATIS Aphor. 39. Sect. V.* minus rite explicarunt, quod nempe, *si mulier, quæ neque gravida est, neque peperit, Lac habeat, ei menstrua defecerint*, cum tamen plane alium hicce Aphorismus inferat sensum, & non nisi de dispositione quadam speciali, quam in quibusdam suppressio mensium ad lactis generationem causatur, intelligendus & explicandus videatur, id quod sane in paucissimis, sub tali statu, contingit foemellis, adeoque haud sufficiens pro hac hypothese adstruenda præbere valet argumentum.

§. IX.

§. IX.

Proinde etiam priora illa fundamenta minus adhuc pro demonstranda hujus asserti veritate sufficiunt, cum aliæ pariter causæ ratione phœnomenorum allegatorum occurrant, inprimis autem proportio inter minorem illam sanguinis quantitatem, quæ sub menstruo fluxu excernitur, & Lactis insignem copiam continuo in mammis scerni solitam deficiat, qui ipse secretionis actus tunc non solum indefinenter continuatur, quando post aliquot menses in lactantibus plerisque mensium fluxus recurrit, sed & tunc statim satis vegete administratur in ipsis puerperis, quando Lochia largius adhuc fluunt, adeoque materiam pro humore illo destinatum hac ratione nimium quantum subtrahunt. Huc accedit experientia contrarium plane demonstrans, observationes nempe de lactantibus brevi post exantlatum puerperium & durante toto lactationis tempore rite menstruatis, nec ullum lactis defectum expertis, quales apud RODER. a CASTRO *Lib. IV. de N. M. cap. 10.* SCHENCKIUM *Lib. IV. Observ. 147. §. 249.* aliosque profant, imo etiam de vetulis, in quibus, licet diu jam jam legitime cessaverit menstruus fluxus, satis copiosus tamen lactis proventus observatus fuit, restantibus id ipsum ARISTOTELE *Lib. III. Histor. animal. cap. 20.* BODINO in *Theat. Nat. Lib. III. p. 429.* & HENR. ab HEER *Observ. 14. Hist. ult.* quorsum etiam pertinent Historiæ, de infantibus & præcipue Viris multum quoque lactis quandoque exhibentibus, & eo ipso pariter palmarium hujus asserti fundamentum evertentibus, siquidem inter alios nonsolum SCHEN-

KIVS *Lib. II. Observ. 290.* virum talem producit, qui in
 conventibus aliorum sæpissime copiosum ac nitidissi-
 mum lac in assidentium faciem petulanter emittebat;
 fed & CARDANVS *de subril. Lib. III. cap. 13.* VESALIUS
de corp. hum. fabr. Lib. V. cap. 18. ALEX. BENEDICT.
Lib. III. Anatom. cap. 4. WEINRICHIUS *de Ortu Mon-*
stror. aliique similes exhibent observationes, ut pro-
 pterea vero utique similis sit, mensium defectum in
 lactantibus ob eam maxime causam plerumque oc-
 currere, quoniam materia tam sanguinis quam lactis
 proxima, tunc majori quantitate ad mammas defertur,
 sicque omnis plane occasio ad Plethoram tam gene-
 randam, quam ventilandam hac ratione intercipitur &
 evitatur.

§. X.

Haud absimiles quoque imo fere majores illorum
 sententiam premunt difficultates, qui *sanguinem sincerum*
 & *strictè dictum* pro genuina *lactis materia* venditant, quos
 inter agmen imprimis ducit SYLVIVS *Lib. III. Prax.*
cap. 10. §. 27. hunc in modum scribens: *Pro lactis mate-*
ria, nec ratione urgente, nec experientia manifesta, chylum
admittendum censemus, cum plerisque sanguinem etiam nunc
habemus. Fundamenta autem potiora, quibus maxi-
 me nituntur, in eo consistunt, quoniam sanguifera ad
 mammas tendentia vasa, quam primum lactis secretio
 inchoatur, turgidiora statim & sanguine magis repleta
 apparent, cujus tamen copiosior eo delata quantitas
 pro mammarum nutritione solitaria vix unquam re-
 quiratur; dein, quia sub fortiori & diutius protrac-
 ta suctione, ab infante præprimis robustiori, sanguis sin-
 cerus

cerus denique e mammis prolicitur, & post usum remedi-
 orum sanguinem sistentium, citra ullum assum-
 tum alimentum, talis statim refrænatur hæmorrhagia,
 ejusque in locum lac denuo procedit; porro, quia ea-
 dem alimenta nutrientia, quæ sanguinis quantitatem
 adaugent, etiam lactis proventum copiosorem pro-
 movent, ac tandem quia sanguinea tantum animalia
 lac exhibent, & foeminæ plethoricæ majori semper
 ejus quantitate, præ aliis minus talibus, gaudent.

§. XI.

Ast, singula hæc, ut ut satis speciosa, nondum ad-
 huc sufficienter hujus asserti veritatem comprobant &
 evincunt, cum primis cum eximia illa quantitas lactis,
 quam quotidie pro infantum debita nutritione emitti
 observamus, eidem vel maxime repugnet: Singulis
 enim diebus infans cæteroquin sanus libras circiter
 duas plus minus lactis exsugere & lactanti citra noxam
 detrahere, hæc vero absque vitæ periculo, aut gravis-
 sima ad minimum vitæ jactura, vix intra aliquot die-
 rum spatium tantum sanguinis emittere potest, imo si
 etiam successive sub mensium, vel hæmorrhoidum,
 aut lochiorum re vera nimio fluxu, paulo majorem
 ejus sanguinis quantitatem perdiderit, facillime in Ca-
 chexiam, Oedemata & Hydropem abinde præcipita-
 tur, a quibus tamen omnibus lactantes vegetæ & sanæ,
 etiamsi forsitan cum Wratislaviensi illa puerpera, cu-
 jus mentionem fecit WEINRICHIVS in *Tr. de Orr.
 Monstror.* quotidie ad XII. libras lactis excernant, pror-
 sus liberæ ac securæ manent, quin interdum etiam me-
 liorem corporis habitum induunt. Præterea etiam
 post

post ablactationem, maxime præmaturam, ob infantis mortem, certissime in omnibus stases sanguinis, inflammationes & pessimi in mammis abscessus oboriuntur, imo pejora etiam adhuc symptomata, quia juxta HIPPOCRATIS effatum *Aphor. 4. Sect. V. sanguis ad mammas collectus furorem inducit*, quæ tamen omnia rarius, aut ad minimum ex aliis plane causis & fundamentis eveniunt. Tandem ipse ordo naturalis hac ratione prorsus inverteretur; siquidem juxta hunc chylus, qui Lacti alias admodum homogeneous & fere analogus est, in Lympham & hæc demum in sanguinem convertitur, qui dein ordine plane retrogrado iterum in Lac mutandus esset, adeoque posterior labor hac ratione priore difficilior magisque arduus redderetur. De reliquo etiam sanguis e lactantium papillis interdum prodiens minime demonstrat eandem esse lactis materiam, cum non nisi ob vulnerationem ac distensionem tenerrimorum vasculorum sanguiferorum ad hanc partem excurrentium tale quid eveniat, ejusque in locum, quamprimum illa iterum consolidata sunt, Lac denuo purum profluit, confer. *MVYS in Prax. Chirurg. ration. Decad. 4. Obs. 7.* Eodem modo etiam comparatum est cum EMPEDOCLIS sententia, ab ipso ARISTOTELE jam dudum *Lib. IV. de gener. animal. cap. 8.* rejecta ac refutata, qua Lac non nisi Pus esse, & putrefactione fieri existimavit, cum ipsa tamen ejus substantia aperte demonstrat, minime corruptum ac depravatam, sed in debita adhuc mixtionis integritate & puritate adhuc constitutum esse huncce humorem.

§. XII.

§. XII.

Jure igitur meritoque illorum adstipulamur sententiæ, qui ipsum *Chylum* depuratum & paulo magis attenuatum Lactis materiam proximam constituere, tam ex ipsa artificiosissima Mammarum fabrica, quam ex aliis admodum probabilibus fundamentis asserunt. Constant enim hæc est substantia glandulosa aut numerosissimis glandulis, magnitudine quidem parum, textura autem nihil plane inter se discrepantibus, beneficio variorum teneriorum ductuum inter se coeuntibus multaque interjecta pinguedine arctius junctis atque compactis, quæ firmiori membrana carnosa dein cinguntur & subjectis thoracis musculis firmiter satis annectuntur. In centro quasi harum glandularum major quædam apparet, quam reliquæ fere ambiunt, & beneficio infinitorum illorum plexuum vasorum lacteorum copiosorem sibi communicatum succum lacteum, quem intra poros & cellulas suas cæteroquin ampliores continere nequeunt, in ipsam illam effundunt, ut tandem ex hac per corpusculum illud teres & fungosum, quod eidem superimpositum est, & *Papilla* nomine ordinarie venit, mediantibus aliquot excretoriis ductibus illud perforantibus, vel sponte, ob copiam aut tenuitatem effluere, vel sub infantis suctione elici & eliminari queat.

§. XIII.

Vasa sanguifera, ut aliæ etiam partes, duplicia habent mammæ, *arteriosa* nempe & *venosa*, quarum illa præ his minora, nec usque adeo numerosa sunt, utraque vero a subclaviis & axillaribus tam arteriis, quam

C

venis

venis proveniunt, suosque ramos partim in exteriorem mammarum ambitum, partim quoque in ipsam intimiorem earundem substantiam dispergunt. *Nervos*, quod attinet, accipiunt illos ab intercostalibus superioribus, quorum propagines dein ad papillam potissimum excurrunt, sensumque illum acutum, ut ex levi grataque contrectatione titillationem, ex duriori autem contactu dolorem satis molestum percipiat, eisdem conciliant. Ad sunt præterea quoque juxta WHARTONVM *Adenograph. cap. 36.* ibidem pauciora *vasa lymphatica*, pro revehendo, uti videtur, aquoso & superfluo, pro nutritione harum partium alias destinato liquore, destinata. An vero insuper etiam adhuc *vasa* quædam *chylifera* seu *lactea*, a ventriculo pariter ac pancreate, immediate sub adiposo panniculo, supra musculos abdominis sursum ad mammas adscendant, & iisdem chylosam pro segregando lacte materiam afferant, uti PECQVETVS *Diss. de Lact. thorac. Exper. IV.* DEVSINGIVS *Diss. de Lacte p. 383.* EVERHARDVS *de hominis brutique exortu p. 282.* putant & adseverant, merito dubitamus, licet in brutis quibusdam talia interdum observari non prorsus negemus.

§. XIV.

Hæc ergo modo descripta Mammarum structura & constitutio anatomica omnino confirmat, quod mediantibus supra memoratis arteriis pinguior alimenterum substantia, sub forma Chyli leviter tantum alterati, nec adhuc perfecte in Lympham mutati, quæ tempore lactationis in paulo majori copia intra venas lacteas recipi, & sanguinis massæ affundi solet, ad illam ipsam

ipsam Lactis officinam sub circulatione deferri, ibique beneficio substantiæ istius glandulosæ successive a sanguine adhuc commixto separari, paulo magis attenuari & sub lactis forma tamdiu ibidem asservari queat, donec commoda pro instituenda excretionem occasio suppetat; & hanc quoque ob causam procul dubio vasa hæc, inprimis arteriosa, tempore incipientis lactationis plerumque notabiliter intumescunt, simulque leviores quædam stricturæ circa axillas lactantium crebrius occurrunt, quoniam pinguiorem hanc chylosam & quodammodo lymphaticam materiam in majori copia & recipiunt & transvehunt unacum consueta sanguinis portione, adeoque abinde majorem, utique & in quibusdam satis notabilem distensionem tunc quoque admittunt. Accedit insuper & hoc, quod non raro Lac alimentorum assumptorum qualitates manifeste retineat, harumque respectu varia plerumque incommoda in infantibus tenellulis producat, prout nimirum vel fermentescentis, vel flatulentæ, vel purgantis, vel alterius cujusdam indolis illa fuerunt. Sic refert CHARLETON in *Exercit. de Galax.* quod si nutritivi propinetur Lac, Croci tinctura imbutum, intra breve temporis spatium, lac illa refundat ex mammis, odorem, saporem, imo & colorem croceum plane exhibens. Similiter quoque HIPPOCRATES *Lib. VI. Epidem. S. 2. v. 38.* scribit: *Mulier, capra, Elaterium aut Cucumerem Sylvestrem comedentes, pueris purgatio*, quale quid experimento etiam sibi cognitum esse refert MARTIANVS *Comm. in L. Hippocr. de nat. pueror.* his verbis: *D. Francisca, uxor Baptiste de Castellis, cementarii in urbe, as-*

sumto medicamento purgante, statim mammam porrexit puelle anniculæ, quam lactabar, non existimans tam cito virtutem medicamenti pervenire posse ad mammas, quæ adeo fortiter purgata est, ut de superpurgatione lethali dubitatum sit; matri vero ne semel abous subducta est. Confer. insuper CONRINGII Disputat. de Lacte & LOWERI Tr. de Corde, cap. 5. p. 228.

§. XV.

Perlustrata sic & demonstrata lactis genuina materia & secernendi ratione, antequam ejus vitia & inde provenientia incommoda indagamus, paucis adhuc notandum erit, quod causa ejusdem efficiens eadem sit, quæ omnium reliquarum functionum secretoriarum in œconomia vitali, nempe Natura, seu Anima rationalis, quæ ordinarie vel brevi ante, vel statim post partum humores nutritios ac pinguiores, antea pro foetus nutritione magis ad Uterum ablegatos, spontanea activitate ab inferioribus hisce partibus ad superiores, speciatim vero mammas dirigit, ut in his affluens cum sanguine materia chyloso-lymphatica separetur, colligatur & tandem nutritioni recens nati infantis impendatur. Et hinc tota illa glandulosa mammarum substantia constituit instrumentum & organon *secretionis*, in quo per modum transcolationis lac elaboratur; tubuli autem lactei glandulis hisce interjecti, de quibus plura habent BARTHOLINVS in *Anatom. reform.* pag. 332. & in *Tr. de lacteis thorac.* WHARTONVS in *Adenogr.* cap. 36. p. 238. DEVSINGIUS in *Diss. de Lacte* p. 282. & DIEMERBROCKIUS in *Anat. Lib. II. cap. 2. pag. 339.* exhibent organon *asservationis* & tandem Papilla

la ipsa, unacum ductibus lactiferis tenerioribus in eandem desinentibus, *organon excretionis*, ex quo secretus & aliquandiu asservatus hic humor suctione demum elicitur, sistant.

SECTIO II.

*Pathologicam Vitiorum Lactis & inde
oborientium Incommodorum
exhibet.*

§. I.

Vitia singulorum corporis nostri humorum, uti principaliter vel a *quantitate* vel à *qualitate* læsa primam suam sumunt originem, sic & *lactis vitia* pariter ex duplici hoc fonte promanant, hacque ratione optime a se invicem distinguuntur, & facillime cognoscuntur. Quod si ergo ratione *quantitatis* quædam occurrant, tunc ordinarie vel in *defectu*, vel in *excessu* humorem hunc peccare observamus, prioremque præ posteriori graviolem semper magisque noxium esse deprehendimus. Differt autem *defectus* talis vel *ratione temporis*, ubi modo circa initium statim lactationis, modo serius etiam, præterlapsis jam aliquot septimanis, aut mensibus, occurrit; vel *ratione gradus*, ubi jam totalis, jam partialis tantum est; vel denique *ratione causarum*, quarum intuitu aliquando a vitio materiæ, aliquando etiam a vitio organi dependet, quæ omnia & singula ad formationem securæ Prognoseos & inventionem convenientis methodi medendi inprimis

mis maxime necessaria, eamque ob causam probe semper attendenda & dijudicanda sunt.

§. II.

Si forsitan deficiat hic humor *circa initium lactationis*, tunc plerumque in culpa est vel *mala constitutio mammarum*, dum nempe glandulæ & tubuli lactiferi arctiores nimiumque constricti adhuc sunt, adeoque debitus sufficientis materiæ affluxus & ingressus in mammas denegatur, quo etiam interdum defectus insolitus humorum necessariorum pertinet, si nimirum tanta non adferatur copia, quanta pro obtinenda partium illarum convenienti permeabilitate ac distensione requiritur; vel etiam *nimia infantis debilitas*, cujus intuitu sub suctione mammas rigidiores & carnosiores non ita strenue sollicitare potest, prout præfens ipsarum conditio exigere videtur: In primiparis enim tam an-nosioribus, ubi tabuli lactei nimium depressi & glandularum pori fere coaliti sunt, quam junioribus, qui ante & post pubertatem, imo durante interdum graviditate thoracem vestimentis arctissime constringere, mammasque vehementius comprimere siverunt, si debilitas ista infantis hunc lactis defectum comitetur, ægrius communiter talis tollitur, quoniam, nisi vegeta suctione alliciatur chyloso-lymphatica materia & vasa eandem adferentia ampliora ac patentiora reddantur, nunquam debita lactis copia obtineri potest; sic quoque ejusmodi defectum statim post peractum puerperium facillime experiuntur foemellæ juvenulæ, nimis macræ, aut quæ durante ingravidationis tempore tam ob nauseam & frequentes vomitus parum comede-

mederunt, quam ratione Picæ forſitan perpeſſæ vitioſa & dyspepta aſſuſerunt alimenta, nec non quæ febribus chronicis aut etiam acutis prius decubuerunt, vel animi pathematibus, inprimis triſtitia, mœrori plus juſto indulſerunt, quale Vitium, niſi & vitæ genus & ipſa mutetur diæta, pariter difficillime emendari & removeri poteſt.

§. III.

Quod ſi e contrario elapſis pluribus a puerperio menſibus, illoque tempore, quo vel maxime manare deberet in ſolatium infantis lacteus iſte rivulus, prorſus intercipiatur conſuetus ejus affluxus, tunc unice fere cauſa in ipſa lactante quærenda erit, eamque tunc conſtituunt modo *alimentorum & potulentorum* ex quacunque circumſtantia dependens *minus ſufficiens aſſumtio*, quæ ob duplicem nutritionis actum, tam in proprio quam alieno corpore adjuvandum, utique copioſior quam extra lactationis ſtatum eſſe debet; modo intimior & diuturnior quædam *chyliſicationis læſio*, vel a ventriculi debilitate, vel ab aſſumtorum prava qualitate, vel ab imminentium etiam morborum periculo maxime dependens; modo *chyli* optime licet & legitime præparati ac depurati, *inconveniens diſtributio* & ex locis incompetentibus facta *præternaturalis eliminatio*, dum nimirum vel plane non aſſunditur maſſæ ſanguinis, ſed ſtatim poſt qualemcunque concoctionem ſub coeliaco alvi fluxu, aut diuturniori etiam diarrhæa quadam iterum expellitur, vel cum ſanguine licet commixtus, erroneo prorſus actu ex incongruis partibus ſub propria, vel etiam lactis forma eliminatur, quem-

admo-

admodum exempla de copiosa admodum lactis profusione aut per umbilicum, ut in *A. N. C. Decur. II. Ann. 8. Obs. 177.* aut per ductus salivales, uti *Ann. 6. ejusd. Decur. Observ. 76.* & in *WALDSCHMIDII ac DOLLÆI Epistolis p. 58. 59.* & 84. aut per urinaria loca, per ulcera antiqua femoris vulnus, &c. uti ab aliis refertur, cognita jam jam sunt; modo denique aliarum excretionum naturalium quidem *intempestiva* & *immoderata provocatio* & *continuatio*, qua ratione plerumque post largiores hæmorrhagias, mensium fluxum copiosorem, nec non *V. Snes* & scarificationes crebriores ac nimias hunc secretionis actum vel impediri, vel supprimi deprehendimus, quod etiam sub *Vini aciduli* omniumque *acidorum* & *austerorum abusu*, ut & *nova*, durante lactatione facta *conceptione*, quæ nutritiorum talium humorum versus uterum magis directum requirit affluxum, non raro evenire solet.

§. IV.

Quod autem vitia lactis *in excessu* peccantis attinet, pariter admodum frequentia talia deprehendimus, præprimis in succulentioribus, robustis, vegeto appetitu gaudentibus & lautiozem victus rationem, quantum possibile quærentibus & feligentibus, in quibus sæpe numero tantam elaborari cernimus copiam lactis, ut nec à robustissimis absumi & evacuari queat infantibus, quin vel tumidæ semper & expansæ maneat mammæ, vel, quod superfluum est, sponte in satis insigni copia effluat, non sine gravioribus lactantium incommodis, imo subinde etiam periculosorum accidentium subsecutione, prout hoc inter alia exemplum
fec-

foeminae istius, quae ob nimiam lactis abundantiam erosionem cutis & ulcera admodum dolorosa accipiebat, abunde comprobatur, cujus mentio facta est in *N. C. Decur. I. Ann. 8. p. 159.* Causae hujus vitii facillime ex praecedentibus cognosci possunt, quoniam partim in nimia humorum pinguiorum & lactescentium copia, ab alimentis evchymis majori quantitate a subjectis sanis assumtis, sub laudabili digestionem stomachi, potissimum proveniente, partim in laxitate ac mollietate mammarum in genere & harum glandulosae substantiae spongiositate, ac majori permeabilitate in specie, consistunt, quibus insuper etiam ipse foetus robustior, & famelicus, majori activitate & aviditate subinde lac exsurgens, merito accenseri meretur, utpote qui, per accidens ad minimum, copiosorem ejus influxum & affluxum tali ratione utique excitare & promovere valet; quemadmodum etiam ad abundantiam lactis temporariam indirecte ad minimum spontanea lactationis omissio, delicatulis maxime foemellis admodum solennis, multum conferre, imo omne plane punctum absolvere solet.

§. V.

Ratione signorum & incommodorum talem lactis abundantiam nimiam praecipue demonstrantium & concomitantium paucis tantum adhuc notamus, quod si vel uberius jam ad mammas affluat, vel copiosius intra illos secretum atque collectum sit lac, ordinarie nutrices aliaeque lactantes abinde non solum insignem fatisque molestam mammaram turgescentiam, sed & speciatim dolorem admodum sensibilem quasi prementem

D

tem

tem & contundentem, in regione spinæ dorsi, percipiant, qui nocturno inprimis tempore magis persentiscitur, & nec in dorso ipsis decumbere, nec somnum perfectum atque quietum capessere permittit, imo tandem etiam ad unum vel utrumque brachium sese extendit, quoniam ipsæ etiam glandulæ subaxillares simul intumescunt ac distenduntur, hocque modo musculus pectoralem, qui brachium attrahit, arctius premunt, liberumque ipsius motum impediunt, quod inepte & citra manifestam satis causam ab imperitis Chirurgis quandoque pro abscessus cujusdam fundamento reputatur, cum tamen unice a redundantia lactis, in illis maxime locis & viis stagnantis, per quæ alias hic humor ad mammas deferendus esset, easque plus justo prementis & distendentis, dependere solet. De reliquo, qui exempla de insolita lactis abundantia in lactantibus, desiderat, videat *A. N. C. Decur. I. Ann. 6. § 7. p. 95. Decur. II. Ann. 11. pag. 73. § 243. § Ann. 5. p. 474.*

§. VI.

Quantquam vero quantitatis vitia satis gravia atque molesta lactantibus existant, tamen graviora utique & periculosiora ipsis sunt *vitia qualitatis*, quando nempe debita copia secretum lac sub consueta ac convenienti consistencia non prodit, sed vel justo tenuius magisque *serosum*, vel *crassius* nimis magisque coagulatum prodit, vel etiam quoad *odorem*, *saporem*, & *colorem* plane corruptum apparet, unde sane damna non solum in lactantes, sed ipsos etiam lactentes, emergunt innumera, dum nimis serosum ac tenue ad præstandam & continuandam nutritionem plane ineptum est,

est, spissius autem teneriora ista corpuscula nimium quantum, sed simul summo cum periculo nutrit, humores magis magisque inviscat, viscera obstruit, secretiones admodum necessarias retardat & impedit, unde postmodum excretionum salubrium retardatio, impuritatium periculosa accumulatio, imo imminens tandem suffocatio & sexcenta alia, a corrupto quoad reliquas qualitates lacte pariter expectanda, graviora accidentia, introducuntur & prognascuntur.

§. VII.

Cognoscuntur autem talia vitia vel ex morbis & symptomatibus presso communiter pede eadem excipientibus ipsosque potissimum infantes affligentibus, vel brevius adhuc & certius, ex inspectione lactis, cujus consistentiam legitimam & naturalem, præter colorem candidum, saporem admodum gratum odorisque defectum, ex aliis quoque signis patescere asserunt Autores, variaque hunc in finem experimenta asserunt: ORIBASIVS enim jubet, ut portioni ejus e mammis expressæ aliquid coaguli vulgaris admisceatur, sique abinde major pars feri secedat, minima sub forma casei relicta, optimæ notæ illud esse concludit. AETIVS refert, quod, si filum sericeum vel cannabinum eidem immergatur, & huic undique æqualiter lac adhærescat, bonum, si vero glutinis ad instar circumferentiam ejus amplectatur, nimis spissum, & si statim inde diffluat, nimis serosum sit. Alii etiam guttulam lactis vel dorso unguis, vel convexæ parti vitri aut patinæ instillant, & si hæc firmiter intra terminos suos maneat, nimis crassum, si celeriter diffluat, admodum tenue, si

D 2

vero

vero pedetentim locum suum deserat, laudabilem esse ejus mixtionem pronunciant.

§. VIII.

Tenuitas lactis nimia duplici præprimis ex causa frequentissime oboritur, nempe vel ex *organorum* fecerentium, vel ex *materia* secernendæ vitio. Ratione prioris accusanda potissimum venit nimia tubulorum lacteorum & glandulosæ substantiæ pororum angustia, quæ pinguiorum & gelatinosarum particularum transitum impedit, & tenues serosas tantum transire concedit, sicque limpîdum & leviter tantum albicantem humorem sistit, prout hoc ordinarie primis a partu diebus in prodeunte tunc *Colostro*, & extraordinarie in primiparis annosis aliisque vel ob constitutionem corporis sicciorem, vel ob prægressam diuturniorem ac fortiorem pectoris per vestimenta constrictionem, minores nimiumque depressas mammas exhibentibus,prehendimus. Ratione posterioris autem, modo temperamentum nimis serosum, & phlegmaticum, modo diæta tenuior ex cibis paucis, dyspeptis & potulentis copiosioribus dilutis & aquosis constans, modo impedita transpiratio seri excrementitii quantitatem nimium augens, modo etiam frequens ac diuturnus humidioris aëris usus, sub quo major pariter aquosarum particularum copia ad pulmones transit, & demum massæ sanguineæ ipsique lacti communicatur.

§. IX.

Spissitudinem extraordinariam triplici potissimum ratione lac nanciscitur, nimirum ex abundantia vel *gelatinosarum* & pinguium, vel *mucilaginosarum*, vel *crassio-*

forum terrearum particularum. Prior illa spissitudinis species, nempe *gelatinosa*, communiter ab alimentorum & potulentorum pinguiorum, valdeque nutrientium copiosiori assumptione originem ducit, qualia sunt carnes pinguiores, medullæ ossium, lactinia, inprimis ipsum lac ejusque cremor, butyrum, castaneæ, nuces, amygdalæ, pineæ, ova sorbilia, cerevisiæ saturatiores ex tritico inprimis paratæ, &c. quæ omnia, etiamsi non semper majorem substantiæ pinguis copiam suggerant, sub concoctione tamen intimiorem particularum oleosarum cum aquosis mixtionem promovent & conservant, coque ipso chylum tanto perfectiorem & secretum exinde lac magis gelatinosum reddunt. *Mucosa* vero *spissitudo* itidem quidem pro causa irregularem diætam habet, sed talem præcipue, ubi cibi dyspepti & viscidioris substantiæ, v.g. pisces tam indurati, quam recentes, inprimis anguillæ, tinçæ, mustelæ &c. carnes animalium crassiorum provectiorisque ætatis, pultes, cremores alimentorum farinaceorum, &c. majori quantitate ventriculo cæteroquin debiliori præbentur, potusque sufficiens ac dilutior iisdem non superingeritur.

S. XI.

Grumosa denique ac *caseosa lactis spissitudo* tam ab acido quodam subtiliori, lacti jam jam sub secretionis actu intimius commixto ob cacochymicam & scorbuticam humorum depravationem, quam a diuturniori ejus intra mammas retentione ac stagnatione, inprimis verò rerum non-naturalium noxio usu & abusu, communiter oritur, quorsum, præter antea recensita alimenta nimis viscida, etiam omnia acida & austera co-

mf103

D 3

pio-

piofus ingesta, nec non graviora animi pathemata, veluti terror subitaneus, ira vehemens mœrorque diuturnus, item regimen inconueniens, inprimis repentinæ pectoris, post prægressam exæstuationem, refrigerationes, frigidorumque potulentorum ingurgitationes, nec non sudores impetuosiores ac diutius protracti, maxime pertinent. Quamprimum vero lac talem contraxit labem, & siue per totam mammaram substantiam, siue in quibusdam tantum glandulis coagulatum fuit, statim lactantes inde tumores duros, inæquales, tactui renitentes, plures vel pauciores, continuos aut interruptos, maioresque vel minores, in mammis deprehendunt, qui ab initio quidem nihil plane dolent, nisi sub fortiori contrectatione, successive autem dolor obrusus, gravatorius & spasticus leuior supervenit, qui tandem, accedente calore & rubore in punctorium, æstuantem & pulsatilem transit, veramque sic partis hujus inflammationem sistit, quæ, cum raro, accedente licet febre inflammatoria, discussionem plenariam admittat, & rarius in scirrhum transmigret, communissime tandem ad suppurationem procedit, & non raro periculosos ibidem abscessus, rebellia ulcera fistulosa & sinuosa, imo turpissima quoque cancrofa, miseras tales foemellas ad mortem usque excruciantia, post se relinquit.

XI.

Quod ad reliquas Lactis alterationes & depravationes attinet, ratione *odoris* nempe, *coloris* ac *saporis*, pariter quoque haud adeo infrequentes, nec admodum etiam leves illæ sunt. *Odor* enim, cum secundum natura-

turam

turam plane nullus, vel saltem non admodum manifestus in lacte occurrit, aliquando tamen vel acidus vel vappidus, vel plane etiam foetidus ac putridus, tam a diuturniori lactis in mammis stagnatione, quam a gravioribus lactantium morbis, fluore albo, lue venerea, scorbuto, scabie ferina, &c. observatur, imo sæpissime etiam humor iste specificum alimentorum odorem exacte refert, & infantibus hanc ob causam nauseosus evadit, siquidem in *A. N. C. Decur. II. Ann. 4. p. 204. in append.* ab oleo olivarum assumpto omnes ejusdem qualitates in lacte observatas fuisse, & à *Celeb. LANGIO in Disputat. qua valetudinarium lactantium sistitur, §. 14.* feminis Carvi odorem a frequentiori ejus in jusculo assumptione lacti impressum fuisse refertur. Sapor lactis gratus & dulcis, sæpius itidem vitatur, & modo in falsum & acrem, modo in salino-acidum, modo amarum &c. transit, prout lactantes vel in diætâ cibis similibus abutuntur, vel humores tali ratione depravatos ac corruptos habent, vel denique medicamenta penetrantiori odore & sapore prædita assumpta fuerunt, quemadmodum inter alios *RIEDLINVS Observat. med. I.* ab assumpto Decocto amaricante, sub defectu lochiorum lac plane amarum reddidum fuisse notavit. Color denique lactis humani, quanquam non adeo exquisite niveus & albicans sit, ut in lacte vaccino, ac caprillo, ab eo tamen non nimium quantum recedere debet, alias enim, si vel atro prorsus vel luteo colore tinctum sit, quale in *A. N. C. Decur. II. Ann. 4. pag. 202. Et 203. in Append.* describitur, vel viride aut rubrum appareat, juxta *Decur. II. Ann. 6. p. 29. in App. & RIEDLINI Observ. p. 124.*
vel

vel etiam saphirinum existat, secundum *Edmundi de Meara* relationem in *Exam. Willis. Diatrib. de febribus, cap. 6.* tunc semper suspectum & admodum noxium pro infantibus est, nisi forsitan ab assumtis vel alimentis peregrinum talem colorem nactum, hicque non continuo talis, sed transitorius tantum fuerit.

§. XII.

Tandem ratione *Prognoseos* paucis adhuc notamus, quod *Lactis defectus* nihil equidem mali lactantibus inferat, infanti autem lactando magis nocivus sit, qui, nisi statim alia ratione debitum ipsi procuretur nutrimentum, viribus deficere, & ob continuum simul concurrentem ploratum variis alijs fonticis incommo- dis exponi facile solet. *Abundantia lactis*, si moderata adhuc fuerit, pro beneficio quodam Naturæ magis reputanda, adeoque non admodum fontica est, quoniam foetus successive grandior ac robustior evadens, eam postmodum facile absumere potest. Quod si vero revera nimia & excessiva illa sit, tunc paulo majorem meretur attentionem, quoniam vires lactantis non solum absumit, illamque ad *Atrophiam* disponit, sed insuper quoque justus subest metus, ne uberius ad mammas congestum, ibique diutius restagnans lac, proprio tandem motu ad sui acescentiam & corruptionem vergat, in spissitudinem grumofam delabatur, atque tandem periculosas mammaram inflammationes, ulcerationes, aliaque superius recensita fontica consecutaria inferat, quod etiam plerumque, uti jam monuimus, de actualibus lactis depravationibus ratione *qualitatis le-* se, tanto certius & citius expectandum est.

SE-

SECTIO III.

*Therapiam Vitiorum Lactis breviter
demonstrat.*

§. I.

CUm haftenus recensita lactis vitia lactantibus pariter ac lactentibus multa utique & ex parte factis gravia afferant incommoda, necesse utique erit, ut ad avertenda & præcavenda hæc, illorum debitam rationem habeamus, & emendationem atque remotionem plenariam quantocyus convenientibus remediis urgeamus & promoveamus. *Lactis* ergo *defectui* ut consulatur, si ex *vitio mammaram* ille dependeat, ante omnia *externa* in usum vocanda erunt, quæ artiores ipsarum vias & poros relaxant & permeabiles reddunt, simulque majorem humorum affluxum eo sollicitant & invitant, qualia sunt omnia emollientia in forma sacculorum vel Cataplasmatum jugiter applicanda, & frictiones modestæ cum panno asperiori prioribus interponendæ, nec non suctiones ab aliis infantibus robustioribus, vel etiam catellis perpetrandæ, ac prioribus illis subjungendæ. Dein in hoc pariter, ac illo casu, ubi *materia necessaria deest*, non solum *cibi* excepti & probe nutrientes, maxime autem lacticia, pulacea, ova sorbilia, carnes animalium juniorum, juscula carniùm concentrata, aut ex lacte & amygdalis parata, cremor avenæ, hordei, &c. pro chyli restauratione impetranda, sed & *remedia* appropriata lactis secretionem specificè promoventia & adjuvantia, in

E

usum

usum vocanda erunt, qualia sunt: Decoctum flor. Sambuc. cum lacte paratum, quod LANGIVS in *Miscellan. p. 46.* maximi facit, aut Decoctum Radicis, Summitatum, & Seminis Foeniculi, sive cum lacte, sive cum cerevisia factum, quod AMATVS LVSTITANVS *Centur. 6. Curat. 86.* imprimis commendat. Neque sua etiam defraudanda sunt laude reliqua Semina oleosa ac mucilaginosâ, videlicet Anisi, Carvi, Anethi, Cardui Mariæ, Dauçi, Nigellæ, &c. in Decoctis vel Trageis potissimum ordinanda, quorsum etiam pertinent Crystall. montan. ppt. Pulv. Lumbric. ∇str. Lac Cnæ & Rotulæ Lac provocantes Mynsichti, quæ singula, vel cum prædictis Seminibus socianda, vel additis paucis guttulis ðorum exinde destillatorum, in pulverum forma exhibenda sunt.

§. II.

Si lactis abundantia nimia occurrat, Medici quidem auxilium, quamdiu intra mammas non stagnat, nec inflammationes & abscessus periculosos minatur, raro necessarium erit, sed sufficiet, si saturato proprio infante id, quod superfluum est, vel sponte effluere sinat, vel more consueto emulgeat aut extrahat, vel ab alio quodam paulo adultiori infante exfugere permittat. Ubi vero fontica quædam pertimescenda sunt constat, mortuo imprimis infante, vel etiam instante ablatatione, tunc, si forsitan ex alimentorum abundantia & chylificatione laudabili, nimia ista provenerit copia, ante omnia sub diætâ tanî de cibus, quam potentis hæctenus largius ingestis semper sibi quicquam detrahant lactantes, simulque ipsis *interne* talia exhibeantur, quæ non solum superfluam chyli elaborationem quodammodo impediunt, sed & jam præparatum alior-

aliorum divertunt ac distribuunt, uti sunt leniora purgantia, temperata diaphoretica, diuretica, anticatarrhalia, resolventia & modeste refrigerantia, v. g. Pilulæ balsam. Stahlian. vel Becherianæ apt in defectu harum ☿ & Quercetani & de Succino Cratonis, cum aliquot granis Extr. Panthymag. Croll. acuta, Essent. Alexipharm. Stahl. Pimpinell. alb. Succin. Zedoar. Tinct. bezoard. Michaël. TR. ʒii & ꝑi, ☉um crystallif. Arcan. duplicat. ☿us ☉lat. ʒium diaphor. Bezoard. miner. aliaque, pro ratione circumstantiarum convenienter sibi subordinanda. *Externe* vero conducunt discutientia & resolventia vegetabilia in forma faculorum vel Cataplasmatum applicanda, nempe v. g. Rad. Ir. Florent. Aristol. O, Bryon. Levitt. Herb. Hyssop. Petrosel. Charesol. Rorismar. Menth. Agrimon. Flor. Salv. Sem. Carvi, Dauci, Fœnugr. Bacc. Laur. Junip. Croc. Farin. Lupin. Crocus Orient. & Camphora; nec minorum gaudent virtute Emplastra ejusdem indolis, v. g. Empl. Diachyl. simpl. de Cicuta, de Sperm. Ceti, Spermate ranar. & album coctum, cum modico Camphoræ remiscenda, & tam Mammis, quam dorso, inter scapulas imponenda, & ad plenariam usque illarum subsidiam continuanda.

§. III.

Serosum nimis ac *tenue* Lac, uti primis a partu diebus nihil mali portendit, & recens nato infanti potius medicamento loco inservit, pro abstergendis & convenienter eliminandis Meconii sordibus, sic medicationem nullam plane requirit; quod si vero sub ulteriori lactationis progressu vel retineat, vel demum adsciscat vitiosam hanc consistentiam, tunc utique ejus emendatio omni modo quarendam erit, & quidem si nimia angustia tubulorum excretoriorum aut glandularum secernentium in culpa fuerit, tunc omnia illa convenient, quæ in §. 1. hujus Sect. jam recensita prostant, subjungendo & injungendo postmodum debitum regimen ac convenientem insimul dietam; si vero in copiosiori feri excrementitii retentione & augmentatione causa consistat, tunc ante omnia potus parcior, aut ad minimum non nimis tenuis, sed debite saturatus, lupulatus ac defæcatus assumatur, aëris intempe-

ries

ries frigido-humida, quantum fieri potest, fugiatur, & superfluum illud serum per temperatiora purgantia, sudorifera & diuretica, §. II. jam allegata, removeatur, quodque residuum est absorbentibus, præcipitantibus & resolventibus, ac convenienti gelatinosa ac pinguiori diata successive corrigatur.

§. IV.

Spissitudo extraordinaria, eaque tam *gelatinosa*, quam *mucilaginoso*, tollitur præcipue diluentibus, potu scilicet tenuiori largius hausto, aut Infusis thee formibus ex Herb. Veron. Meliss. Teucr. ver. Flor. Arnic. Sem. Fœnic. & paratis, nec non omitendo cibos pinguiores valdeque nutriendos, & eorum in locum substituendo macriores, humectantes & lenientes, conjungendo etiam insuper Essentias superius recensitas resolventes, anticatarrhales & diaphoretico-diureticas, quæ ipsa etiam tunc maxime conveniunt, si *spissitudo grumosa* forsitan adfuerit, ita tamen, ut simul externa resolventia ac discutientia camphorata, in primis Emplastra modo commendata quibus etiam Empl. de Galbano crocatum accensemus, sedulo adhibeantur, & continuo semper leni calore mammæ, beneficio sacculorum & Cataplasmatum his super-imponendorum, foveantur. Quod si vero his non obstantibus, inflammatio tamen & suppuratio, aliaque plura sœntica pathemata supervenerint, chirurgica tanto magis quærenda erunt auxilia, de quibus vero, cum ad nostrum scopum non pertineant, fusius multa monere jam non placet. Tandem si Vicia *Coloris, odoris* ac *saporis* occurrant, & neque alimenta neque medicamenta occasionem quandam suppeditaverint, ante omnia alterius nutricis curæ tradendus erit infans, & deinceps convenientibus remediis universalibus sanguinem unacum reliquis humoribus depurantibus, ac reliquas causas remouentibus, tamdiu insistendum erit, donec in eo quoque optatum attingamus scopum, & desideratum obtineamus

F I N E M.

S. D. G.

00 A 6318

ULB Halle 3
002 933 500



SB

VD
18

Reho ✓ V D 17





65.



Farbkarte #13

B.I.G.

P. B. V.
AVGVRALIS MEDICA

DE
S VITIIS,
E PROGNATIS
I INCOMMODIS,

VAM
NIS SVPREMI GRATIA
SITATIS MAGNIFICO,
AMPLISSIMO DOMINO,

A C I D O,

M PETRI ET PAVLI ORD. S. BENEDICTI
OSITVRÆ ZELLENSIS ET IN FRANCKE-
IO, S. FACVLT. THEOL. ASSESSORE
RIO, ETC.

TO GRATIOSÆ FACVLTATIS
ANTIQVA HIERANA,
RÆSIDIO

MEDICI DOMINI SENIORIS
NI PAVLI JVCHII,

ISENAC. CONSIL. AVLICI ET ARCHIAT.
ROFESS. PVBL. PRIMAR. ACADEM.
VRIOS. COLLEGE,

ORIS SVI COLENDISSIMI,
ICENTIA

A HONORES AC PRIVILEGIA
RITE OBTINENDI,
M CENSVRÆ SVBMITTIT
RESPONDENS,

EREMIAS Bergel

biensis.
EGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

VI, M DCC XXXI.

STOPHORI HERINGII, Acad, Typog.

